

§. VI. Tunc Sacerdos exsufflat ter in faciem ejus, semel dicens: Exi ab eo, etc.

28 Ista insufflatio non fit leniter, ut in Baptismo Parvulorum, sed fit graviter, et strictis labiis: Credo ad demonstrandum actum imperiosum contra Satanam: juxta illud, Matth. 17. *Et increpuit in eum Jesus, et exiit ab eo Daemonium.*

§. VII. Hic in modum Crucis halet in faciem ipsius, et dicat: Accipe spiritum bonum, etc.

29 Hic fit halitus, non insufflatio, quia Spiritus Sanctus est aura lenis, et suavis, juxta illud Hymni: *Consolator optime, dulce refrigerium, in aestu temperies. etc.* Fitque in modum Crucis, de qua Tertullian. *lib. de Resurrect. Carn. Caro signatur, ut et Anima muniatur; Caro abluatur, ut et Anima emaculetur.*

§. VIII. Deinde facit Crucem cum pollice in ejus fronte et in pectore dicens, etc.

Hic advertendum est, quod dicta verba, Horresce Idola, respue simulacra, dicantur Catechumeno qui venit de gentilitatis errore, seu de Ethnicis et Idololatriis.

Catechumeno vero Judaeo, sive ex Hebraeis venienti, loco horum verborum, dicatur: Horresce Judaicam perfidiam, etc.

Saraceno autem, vel Turcae, aut Persae, sive alii ex Mahumetanis ad fidem venienti Catechumeno, loco eorumdem verborum dicatur: Horresce Mahumeticam perfidiam.

At Haeretico ad Catholicam Ecclesiam venienti, qui si in ejus Baptismo debita forma servata non est, baptizari debet, dicatur: Horresce haeticam pravitatem, etc. vel exprimaturo proprio nomine secta, de qua Catechumenus venit.

30 31 32 Caeremonia est eadem; quae sit cum Infanti-

bus, de qua suo loco diximus: Verba tamen non sunt eadem; et ratio est, quia non tantum de peccato originali est mundandus Adultus, sed et de peccato actuali, puta Idololatriae, vel falsae Religionis: et ex hoc mutari debent verba juxta errorem, seu falsam Religionem Catechumeni: Gentiles, atque Ethnici adorant Idola, et simulacra: Hebraei Adventum Christi Messiae negant, suntque in erroribus suis perfidi, et superstitiosi, Ricciull. *d. 2. 3.* Turcae, Persae, atque atque alii Asiatici, seu Orientales, Mahumetum magnum prophetam adorant, et invocant; suntque Infideles in diversitate sectarum. Haeretici tandem plurimi sunt, quos si enumerare proponerem, tempus mihi non valeret. Notandum tamen est, optimum esse, si in casu baptizandi Haeticum, hic prius bene examinaretur circa errorem, et Sectam suam, ut tempore Baptismi notum foret Baptizanti, an Catechumeno adhibita sit debita materia, et forma in baptizando.

33 34 Supra recensuimus nonnullas Haeticorum sectas, quae in Baptismo praecise errant, de quibus necesse est, ut saltem magister caeremoniarum sit informatus ab instructore Catechumeni, ut Ministro baptizanti revelare possit, et assignare verba propria in facienda catechesi et in exorcismis. Plura hujus argumenti habebit in Historia Haeresum *Floremundi Remundi*, et italice in simili Historia a *Dominico Bernino* conscripta, et Romae typis edita. Certe hoc potissimum inserviet pro adimplendo praeepto Textus, qui vult, ut nomen Sectae de qua Catechumenus provenit, exprimaturo.

§. IX. Si plures sunt Electi, omnia supradicta dicuntur singillatim super singulos, etc.

35 Potest dari, quod si multi adsint Catechumeni baptizandi, omnes sint ejusdem Sectae et Religionis: puta familia integra, et numerosa Hebraeorum, vel Calvinistarum. Potest etiam dari, quod sint diversi generis: v. g. Unus Hebraeus, unus Mahumetanus, unus Ethnicus. In quocumque casu iste exorcismus fieri debet super singulos, quia cum minister debeat signare frontem, et pectus Catechumeni, unus tantum praefendus non est, et caeteri praetereundi, sed omnes aequali lance tractandi, et signandi, quia singuli sunt Templum Dei, et singuli horrescere debent pravitatem Religionis, seu legis, in qua degebant.

§. X. Si plures fuerint, praecedens Oratio dicatur in numero plurali, et in genere suo.

36 Haec Oratio est communis, et pro cunctis imploratur Dei auxilium, ut demonstret omnibus viam veritatis. Ideoque si plures sint Catechumeni, dicenda est juxta numerum, et genus suum distincte, et attente applicando singula singulis.

§. XI. Deinde signet illum signo Crucis cum pollice in fronte. In auribus. In oculis. In naribus. In ore. In pectore. In scapulis. In toto corpore illud non tangens, manu producit signum Crucis, etc.

Si plures fuerint Electi, praecedentes Orationes, et exorcismi dicantur in numero plurali, et in genere suo. Signationes autem fiant, et illarum verba dicantur singula singulis.

37 38 39 Ampliatur hoc signum Crucis, nec in sola fronte, ut in solis parvulis imprimitur, et ratio est, quia Infantes non alia labe maculantur, nisi originali, quae in fronte designatur, et in capite, quia ibi sensus omnes initium capiunt, Fagnan. 1. *decr. c. perniciosam, de off. ordinar. num.* 41. scilicet originem habent, In adultis vero alia peccata remanent purganda, et eo pacto, quo in extrema unctione inunguntur loca quinque sensuum hominis, quia supponitur per illos sensus deliquisse: ita et in Baptismo Adultorum, benedicenda, sanctificanda, et signanda occurrunt membra, et loca demonstrativa hujusmodi quinque sensuum.

40 In toto tandem corpore benedicatur per signum Crucis, ut ita totus homo benedictus, et paratus remaneat ad recipiendam gratiam sanctificantem Baptismi: sed manu non tangit Minister Catechumeni corpus, non quia tactus hujusmodi sit incongruus, sed quia haec Crux debet fieri ante oculos baptizandi in tota sua extensione, ut eam quodammodo ante oculos habeat, et intueatur. Ultra quamquod magni incommodi esset, si manu tangere deberet Minister Catechumenum, a vertice capitis, usque ad plantam pedis.

§. XII. Tunc imponit manum super caput electi, etc.

Vide quae in simili Rubrica diximus in Baptismo Parvulorum.

§. XIII. Deinde Sacerdos benedicat Sal.

Eadem est haec benedictio, ac illa, de qua locuti sumus in Baptismo Parvulorum, §. 6. Ad quam explicationem nihil addendum habeo.

§. XIV. Tunc pollice, et indice accipit de ipso Sale, et immittit in os Catechumeni, dicens, etc.

Pariter circa hunc Paragraphum sufficiunt quae dicta sunt in simili loco, ad Baptismum Parvulorum.

§. XV. Quod si Catechumenus fuerit Gentilis, seu ex Idololatriis venerit ad fidem, benedicto Sale, priusquam ejus medicinam gustet, Sacerdos addat sequentem Orationem dicens: Oremus, etc.

41 Superadditur hic ista Oratio, quae non habetur in benedictione Salis pro Infantibus: et post deprecatoria ad Deum, ut parcat Idololatrae. De facto Gentilium error pejor est cunctis, quia unitatem, et essentiam Dei laedit, tanta multiplicitate deorum, et tanta turpitudine, atque ideo indigent, ut peculiari Oratione Deo commendentur isti Gentiles, et Idololatrae, ut Sal vere inserviat illis ad incorruptibilitatem verae Fidei, non ejus quam tot Numinibus fallacibus praestiterunt.

§. XVI. Deinde Sacerdos dicat super masculum tantum: Ora electe; flecte genua, et dic Pater noster.

42 43 44 Quo magis Catechumenus ad Baptismum accedit, eo magis ab illo est orandum, et danda sunt humilitatis signa: ideo hic dicit Sacerdos: *Ora Electe*. Sed ista Oratio debet esse cum signo exteriori: hoc signum est flectere genua, quod proprium peccatorum est, Gavant. *p. 2. t. 5. lit. Z.* An duo flectenda sint, affirmat Alcoc. *in suo caerem.* ex vi verborum *flecte genua*, quae ratio a Gavant. *p. 2. t. 5. lit. E.* reprobat; sed in nostro casu, in quo imponitur ista genuflexio uni
COM.—P. 20.

tantum baptizando, et non pluribus, opinio Alcocer. est attendenda. Super masculum tantummodo dicitur haec Oratio, quia alia formula sequitur pro foeminis, diversis, et aptis verbis composita.

§. XVII. Sacerdos subjungit: *leva: comple Orationem tuam, et dic Amen;* et ille respondet: *Amen.*

45 Amen est confirmatio, et complementum Orationis. Meminit hujus ritus respondendi *Amen* D. August. *Ep.* 178. *et tr.* 4. *in Joann.* Est vox Hebraea, quae significat apud nos idem quod *Fiat*, Gavant. *p.* 1. *t.* 9. *nu.* 17. ubi plura addit de significatione hujus verbi *Amen.*

46 De Oratione Dominica, et ejus valore multa notat Aloys. Lippom. *In exposit. Ital hujus Orationis*, et Paulus Secneri Soc J. Recitatur tum a Ministro, tum a Catechumeno, quia est Oratio communis, Gav. *d.* *p.* 2. *t.* 10. *lit.* *Q.* et alta voce, ut ab omnibus discatur. *Idem.*

§. XVIII Et Sacerdos dicit Patrino: Signa eum, deinde electo: *Accede: et Patrinus pollice signat eum in fronte; dicens: In nomine, etc.*

47 Patrinus cum sit jure fidelis, ignorare non debet signum Crucis, atque ideo ad ostendendum quod fides, de qua ipse praestat fidejussionem, in ipso quoque inest, ipse signat frontem Catechumeni, et sic quodammodo fidejussionem dat circa Unitatem, et Trinitatem Dei.

§. XIX. Tum quoque Sacerdos facit Crucem in fronte ejus ita dicendo: *In nomine, etc.* et imponit manum super eum, et dicit: *Oremus, etc.*

48 Ad authenticandum signum Crucis factum a Patrino, subintrat signum factum a Ministro, et aliquo modo illud reimprimat, et calcet in fronte Catechumeni, addens impositionem munus, qua continuat exorcismum, et implorat opem Dei ad custodiendum electum, et eum perducendum ad gratiam Baptismi.

§. XX. Sed si plures sint Catechumeni, hic, et in sequentibus Sacerdos dicat in numero plurali.

Unice haec Rubrica ponitur pro advertendo Ministro, ut pluraliter dicat quod singulariter scriptum est: de caetero omnino sunt eadem caeremoniae, quae adhibentur pro uno masculo.

§. XXI. Item super unum secundum dicat: *Ora electe. etc.*

49 Isti exorcismi per tres vices fiunt electo, et semper aequali modo quoad caeremonias, sed non eadem Oratione, et exorcismo. Crescit vis in orationibus magis ac magis semper, et fiunt per plures vices ad opem divinam fortius impetrandam, juxta illud, *Petite, et accipietis*, et iterum, *Petite, et dabitur vobis*, Luc. 11.

§. XXII. Super foeminam vero Sacerdos dicit *Ora Electa, etc.* Et sequentes Rubricae quae omnino concordant cum antecedentibus pro masculis, mutato numero, ac genere usque ad sequentem paragrahum.

50 Foeminae Catechumena eodem modo exorcizantur ac Masculi, sed non iisdem verbis, et Orationibus. Verba accomodantur generi illarum: Orationes praescribuntur diversae, sed nom omnino, et accomodantur muliebri conditioni, per quam culpa originalis orta est.

§. XXIII. His peractis, Sacerdos sinistra manu apprehendens dexteram electi prope brachium, vel ei porrigens extremam partem stolae introducit eum in Ecclesiam, dicens, etc.

Si fuerint plures, dicat in numero plurali, et introducat eos ut supra.

51 In Baptismo Parvulorum praescribit Rituale, ut porrigatur, seu imponatur extrema pars stolae Infanti et ad Eccle-

siam ducatur. Hic in Baptismo Adulorum latius loquitur, et primo proponit, ut Sacerdos apprehendat dexteram Catechumeni, deindae porrigat stolam. Iste duae actiones ad libitum ministri baptizantis sunt: tutior, et magis amplexanda est, ut Foeminis porrigat stolam, Masculis vero dexteram. Porrectio manus non debet fieri, ut manus manum stringat, sed oportet, ut fiat ad pulsum, et prope manum, quod non omnino decens esset in Foeminis adultis.

52 Insuper haec introductio debet fieri in communi per vocem *ingredimini*, quando sint plures baptizandi; et sufficit, ut uni tantum, sive Masculo, sive Foeminae porrigat stolam, seu manum eo modo super enunciato. Si omnes Foeminae sint, porrigatur stola primae illarum: Si vero fuerint Masculi, apprehendatur primus per dexteram: si vero et Masculi, et Foeminae accedant ad Baptismum, Masculo danda est manus, vel stola. Isti postea catervatim, manus sibi invicem porrigendo, sequantur ductorem suum, facientes unum ductum et comitatum cum eo.

53 Advertat Minister ultimo, quod porrigere debet manum sinistram, vel partem stolae ad latus sinistrum pendentis, non ob alium finem, nisi quia manus dextera ei liberior relinquatur ad operandum, vel quia pars dextera est nobilior, et est concedenda Ministro Sacerdoti.

§. XXIV. Et ingressus electus procumbit, seu prosternit se in pavimento, et adorat. Deinde surgit, et Sacerdos imponit manum super caput ejus, et electus cum eo recitat Symbolum Apostolorum, et Orationem Dominicam. Ita etiam si plures fuerint, omnes surgunt, et simul recitant, *Credo, etc.*

54 55 Decet, ut vix ingressus electus in Templum procumbat, ac se prosternat; nam flectere genua, ut supra diximus, peccatoris est, se prostare, et procumbere est poenitentis, et humiliati, cujusmodi est Catechumenus jam exorcizatus, et prope Fontem. Amalar. l. 3. cap. 37. Quid vero adorare debeat, non exprimitur a textu, qui simpliciter dicit: *Adoret*. Dicerem, quod ista adoratio ad Deum dirigenda esset, seu ad Templi Sanctitatem, in quo humiliter locum habet. Verum cum certo sciam, aliquando hoc verbum *Adorare* sumptum fuisse pro *Orare* simpliciter, ut in Propertio l. 1. *Eleg.* 4. habemus: *Maneat sic semper adoro*: cum neque in nostro casu nullum nomen regat illud verbum *Adoret*, credendum puto, hic

quoquesumendum esse pro *Oret*, seu deprecetur Deum pro felici exitu Baptismi sui. Sed brevis haec Oratio esse debet, nam Rubrica immediate sequitur, et dicit: *Surgit*.

56 57 Postquam surrexerit Electus, recitat Symbolum Apostolorum, pro quo sciendum est, neminem, antiquitus baptizari solitum, qui Symbolum Apostolicum, et Orationem Dominicalem memoria non retineret, Concil. Const. 6. cap. 6. ap. Casal. d. c. 5. §. *Catechumeni*. Ideo hodie Instructores in hoc insistent magnopere, ut Catechumeni dictum Symbolum, et Orationem Dominicam addiscant, ad hoc ut valeant dictas Orationes recitare prompte, et sine interruptione tempore Baptismi.

§. XXV. Tunc rursus Sacerdos imponat manum super Caput Electi, et dicat Exorcismus, etc.

Similiter si plures fuerint, imponit manum super caput singulorum, et dicit eundem Exorcismus.

58 Sequuntur Exorcismi, et hic est postremus, et vere terribilis, et validissimus. Olim accedentes ad Exorcismos erant nudis pedibus, ut notat Chrysost. *homil. ad Baptiz. ibi*.

59 Vetat Rubrica, ne fiat Exorcismus in generali super omnes Catechumenos, sed singillatim: et ratio est quia in singulis Catechumenis peccatum aliquod particulare ineste potest, et facile est quod unus majorem, alter minorem dispositionem habeat ad fidem suscipiendam: propterea ad hoc ut omnes, et singuli gaudeant beneficio hoc expulsionis, dicitur Exorcismus in particulari.

60 61 Notandum est, quod Exorcismi non finiuntur more aliarum Orationum verbis consuetis: *Per eundem Christum Dominum Nostrum*. Sed aliis: *Per eum qui venturus est judicare, etc.* Eo quia Daemonis diem extremi iudicii valde pertimescunt, Fuliens. *de Sacr. cap.* 13. §. 9.

§. XXVI. Postea Sacerdos accipit de saliva oris sui, et tangit aures, et nares Electi: tangendo vero aurem dexteram, et sinistram dicat: Ephpheta, quod est adaperire: deinde tangendo nares dicat, in odorem, etc.

Omnino haec Rubrica est eadem quae observatur in Baptis-